

initio nascentis Ecclesiae, nisi sub conditione resol-
 Atqui tamen *justa de causa*, et hoc certe requiritur ad
 dispensationis liceitatem. Utrum autem ad validita-
 tem? Certo negative, ubi agitur de vinculo legum
 ecclesiasticarum, quia infra videbimus has leges non
 esse, quoad Papam, leges superioris, sed ipsiusmet
 Papae leges; superior autem semper valide dispensat
 in propriis suis legibus. At, si agatur de vinculo legis
 divinae, requiritur *justa causa* ad valide dispensan-
 dum, juxta probabilioris sententiam; quia tunc Papa
 dispensat in lege sui superioris.

402. Dico 3^o : *Romano Pontifici subjiciuntur
 illae omnes christianae associationes, quae ad
 finem spiritualem directe ordinantur.*

Ratio in promptu est : in omni societate, quaecum-
 que associationes habent finem specialem fini communi
 societatis directe subordinatum, eo ipso ei subjiciun-
 tur, cujus est finis communis cura; secus, jam deficeret
 unitas in regimine, et brevi efformarentur associatio-
 nes, aut inutiles, aut bono publico infensae. Potest ita-
 que summus Pontifex praedictas associationes, quales
 sunt, v. g. ordines religiosi, pia instituta, capitula,
 confraternitates, etc., aut erigere, aut earum semel
 erectarum approbationem sibi reservare; potest item
 eas regere per se vel per alios; aut etiam, si ita judi-
 caverit, dissolvere.

403. Dico 3^o : *Romanus Pontifex jus habet libe-
 rae communicationis cum omnibus membris
 Ecclesiae.*

Quia enim totius gregis christiani cura ipsi incumbit,
 oportet ut de totius Ecclesiae statu certior reddatur;

secus, nec communibus necessitatibus providere pos-
 set, neque delinquentes coercere, neque audire et ad-
 juvare eos qui ad ipsum recurrunt. Porro haec omnia
 aperte supponunt liberam Pontificis cum universis
 fidelibus et pastoribus communicationem. Ergo mani-
 festa est injustitia praefatam communicationem im-
 pedire aut restringere.

QUAESTIO IV^a

Quae sint praecipua Romani Pontificis jura
 circa res ecclesiasticas spirituales?

404. Resp. Dico 1^o : *Papa potest ea omnia in dis-
 pensatione Sacramentorum, salva eorum substan-
 tia, statuere vel mutare, quae susipientium utili-
 tati, et ipsorum Sacramentorum honori, pro
 rerum, temporum et locorum varietate, magis
 expedire judicaverit.*

Concilium enim Trid. (Sess. XXI, c. 2) decernit ea
 esse de foro Ecclesiae; ergo sunt etiam de foro Ponti-
 ficis Romani. Dixi : *salva eorum substantia*; quia
 per Sacramentorum substantiam ea intelliguntur quae,
 ex Christi voluntate, in eorum confectione requirun-
 tur, ac proinde Papae auctoritatem excedunt.

Hinc, ad Romanum Pontificem spectat : 1^o nonnullas
 statuere irregularitates quibus prohibetur, aut Ordini
 susceptio, aut Ordinis suscepti exercitium; 2^o in-
 stituere impedimenta matrimonium prohibentia, aut
 etiam dirimentia, de qua potestate fusius alibi.

405. Dico 2^o : *Romanus Pontifex habet supre-
 mam thesauri spiritualis Ecclesiae dispensatio-
 nem.*

Ille thesaurus constat : 1° meritis et satisfactionibus Christi quae, utpote infiniti valoris, per hominum redemptionem non potuerunt exauriri ; 2° satisfactionibus Sanctorum superfluis quae, scilicet, in solvendo poenae temporalis debito non fuerunt consummatae. Hujusmodi thesaurus existit in mente Dei, qui horum meritorum et harum satisfactionum memor, per illa movetur ad praestandam misericordiam iis quibus applicantur.

Jam vero, ut ait Clemens VI (Extrav. comm. *Unigenitus*, lib. 5. De poenit. et remis.) : « Christus hunc thesaurum per B. Petrum coeli Clavigerum ejusque successores suos in terris Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum. » Papa enim habet *claves regni coelorum*, seu, jus disponendi de omnibus bonis Ecclesiae communibus : id quippe significat metaphora clavium.

Hinc Papa potest quaslibet Indulgentias concedere *ex justa causa*; est enim hic praecipuus modus disponendi de Ecclesiae thesauro. Indulgentia autem est remissio poenae pro peccato remisso persolvendae, et haec remissio partialiter vel totaliter fit extra Sacramentum, per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum.

Diximus : *ex justa causa*; deficiente enim causa quantitati Indulgentiae proportionata, concessio valida non esset; quia 1° Papa non est dominus, sed dispensator tantum thesauri Ecclesiae; 2° Indulgentiam concedendo dispensat a jure divino, seu, ab obligatione solvendi poenam temporalem pro peccato remisso debitam; et super hanc juris divini obligationem dispensatio sine causa non valet.

406. Dico 3° : *Romani Pontificis est leges ferre circa cultum Deo et Sanctis offerendum*, id est :

1° *Papa jus habet beatificandi et canonizandi servos Dei.*

Etenim Beatificatio et Canonizatio sunt evidenter de foro Ecclesiae; ergo etiam Romani Pontificis. De caetero, ne cultus publicus Sanctorum brevi in superstitionem declinaret, oportuit reservari Ecclesiae iudicium de servorum Dei sanctitate et glorificatione. At, non minus liquet magnum futurum esse incommodum, si hae causae conciliis generalibus reservarentur, cum nonnisi raro conveniant.

2° *Papa jus habet supremum in Liturgiam.*

Per Liturgiam enim fides ecclesiarum publice exprimitur, et determinatur forma cultus Deo et sanctis, nomine Ecclesiae, exhibiti. Atqui ad eum qui Primatum gerit in Ecclesia, pertinet determinare authenticam fidei variarum ecclesiarum particularium expressionem, formamque cultus Deo et sanctis, nomine Ecclesiae, rependendi.

Hinc, Papa potest, uti multoties fecit, nova festa etiam de praecepto instituere, nova condere officia, festa et officia suppressere; item libros liturgicos conficere, aut emendare, aut de medio tollere; item varios ritus accidentales praescribere, vel existentes corrigere, aut abolere, etc...

3° *Papa jus habet ea omnia ordinandi, quae spectant locorum sacrorum erectionem, benedictionem et usum.*

Patet, quia haec omnia respiciunt cultus catholici existentiam et majestatem.

QUAESTIO V^a

Quae sint praecipua Romani Pontificis jura
circa res ecclesiasticas temporales?

407. Resp. Dico 1^o : *Seclusa quaestione inter canonistas agitata de vero bonorum ecclesiasticorum proprietario, certum est Papae competere supremam eorum administrationem.*

Sequitur evidenter ex dictis : alias enim Papa non posset omnibus Ecclesiae necessitatibus providere, ejusque pericula praecavere.

Hinc, Papa jus habet : a) invigilandi ut bona ecclesiastica, in singulis ecclesiis quibus attributa sunt, integre serventur, et juxta donatorum intentionem fideliter prudenterque adhibeantur; b) ferendi leges determinantes modum illa recte administrandi, ideoque praescribendi conditiones in variis contractibus, etiam sub nullitatis poena, servandas; c) imo de illis bonis, prout exigit ecclesiarum necessitas, disponendi, videlicet : ea alienando, aut aliis ecclesiis transferendo, aut etiam laicis donando; non enim nisi sub hac tacita conditione dari et acceptari potuerunt.

408. Dico 2^o : *Romanus Pontifex, ad onera suae administrationis sustinenda, jus habet ut, vel ex bonis ecclesiasticis, vel, si oporteat, ex bonis etiam fidelium, sibi sufficienter provideatur.*

1^o Quod jus habeat percipiendi subsidia sibi necessaria ex bonis ecclesiasticis, est evidens : quia bona ecclesiastica, ad hunc usum praesertim destinantur sine quo Ecclesia convenienter regi non posset; neque donatoribus liberum est hanc conditionem refugere.

Inde factum est quod Romani Pontifices olim consueverint percipere *annates*, seu, certam partem fructuum primi anni ex beneficiis collatis. Qui usus, a tempore Joannis XXII, et durante praesertim Pontificum in urbe Avenionensi habitatione, invaluit, et probatus fuit in conciliis Viennensi et Constantiensi.

2^o Quod autem, deficientibus bonis ecclesiasticis, simplices etiam fideles debeant ex propriis Papae subvenire, constat ex multiplici titulo, nempe : a) *titulo justitiae*. Etenim, ut dicit Scriptura : *Dignus est operarius mercede sua* (Luc., x, 7); et : *Quis militat suis stipendiis unquam?* (I Cor., ix, 7). Atqui in Ecclesia, nemo tam strenue operatur et tam intrepide militat ad bonum commune procurandum, quam Romanus Pontifex. b) *Titulo religionis*. Nisi enim Papae praesto sint subsidia temporalia, jam publicum religionis catholicae exercitium gravi detrimento exponitur. Atqui hujusmodi detrimentum fideles ex motivo religionis praecavere debent. c) *Titulo charitatis et gratitudinis*. Sane proximo indigenti ex lege charitatis subveniendum est; haec obligatio determinate urget erga benefactores, et eo magis urget, quo plura ab eis atque praestantiora beneficia accepimus, praesertim si ex ipsamet benefaciendi sollicitudine oriatur necessitas sublevanda. Atqui profecto res ita se habet de Romani Pontificis indigentia. d) *Titulo pietatis*. Est enim Pontifex Romanus omnium fidelium pater; atqui filius patri indigenti, ex pietatis officio, opitulari tenetur.

QUAESTIO VI^a

Quae sint praecipua Romani Pontificis jura
circa judicia ecclesiastica?

409. Resp. Dico 1^o: *Romanus Pontifex, jure divino, constituitur iudex, etiam ordinarius, omnium quarumcumque causarum ecclesiasticarum.*

Constat omnibus definitionibus quibus supra vidimus adjudicari Papae *principatum ordinariae potestatis, summum ac plenum principatum, plenam potestatem, auctoritatem numeris omnibus absolutam*, et quidem in universos fideles, et ex Christi institutione.

His addere juvabit verba concilii Vatic., Sess. IV. c. 3: « Et quoniam divino apostolici Primatus jure
« Romanus Pontifex universae Ecclesiae praest,
« docemus etiam et declaramus, eum esse iudicem
« supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius posse
« iudicium recurri. »

Hinc, Romanus Pontifex potest jure divino: a) adversus reos animadvertere, etiam per censuras, in universa Ecclesia; b) quoscumque Christianos a quibuslibet peccatis et censuris, licet per episcopos reservatis, absolvere.

410. Dico 2^o: *A quocumque alio iudice ecclesiastico ad Papam, omissis intermediis tribunalibus, appellare licet, nisi Papa ipse contrarium alicui regioni indulserit.*

Id aperte declarat conc. Vatic. modo citatum; et ratio est quod Papa sit iudex immediatus ac supremus,

et quidem divino jure, in omnibus causis ecclesiasticis. Unde frequenter hujusmodi appellationes accepit, nec episcopi catholici conquesti sunt de violato suo jure.

Dixi: *nisi Papa contrarium indulserit*. Potest enim, ob illarum appellationum incommoda, concedere ut prius causae deferantur ad iudices intermedios quam ad supremum; et ille usus prioribus praesertim saeculis invaluit. Ex hoc explicatur quo sensu conc. Sardicense videatur Papae concedere jus suscipiendi appellationes. Tunc enim Patres Sardicenses libere renuntiarunt usui antea, de consensu Papae, vigenti, sed jus novum non condiderunt.

411. Dico 3^o: *A sententia Papae non datur appellatio, nequidem ad concilium generale.*

Ita expresse docet conc. Vatic. loco jam citato: « Docemus... Sedis Apostolicae, cujus auctoritate
« major non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere iudicare iudicio.
« Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad
« oecumenicum concilium, tanquam ad auctoritatem
« Romano Pontifici superiorem, appellare. »

Et haec doctrina sequitur: a) *ex dictis*; cum probaverimus Papam esse supremum Ecclesiae caput; b) *ex dicendis*; cum infra statuemus concilium oecumenicum non esse supra Papam; c) *ex gravissimis incommodis* sententiae oppositae; raro enim et saepe difficile congregantur concilia, et ideo, si ad illa valeret appellatio, causae in suspenso diu relinquerentur, intereaque errores, dissidia et corruptelae late grassarentur.

QUESTIO VII^a

Utrum et quo sensu auctoritas Papalis sit monarchica ?

412. Resp. prae-notandum est monarchiam triplici sensu sumi posse :

1° Sensu *alieno*, pro regimine quo unus in regno omnia pro libitu suo potest ; et sane nulla existit hoc sensu legitima monarchia. Quinimo, cum Ecclesia sit societas divinitus instituta, nullus mortalium, nequidem Papa, ejus constitutionem mutare potest.

2° Sensu *stricto*, sed minus communi, pro regimine quo unus, habens supremam et universalem auctoritatem, hanc exercet vel per seipsum, vel per meros vicarios, qui varias provincias regni, non proprio nomine, sed nomine regis ex ejus delegatione, administrant, et dicitur regimen *autocraticum*.

3° Sensu *proprio et communiter recepto*, pro regimine quo suprema potestas penes unum residet, et nullius alterius consortio minuitur, dividitur, impeditur, sive adsint, sive non, praeter supremum principem, alii qui proprio nomine partes regni administrant.

413. Dico : *Regimen Ecclesiae est quidem autocraticum, si referatur ad Christum, caput ejus invisibile ; at, si referatur ad caput ejus visibile, est monarchicum simpliciter, id est, sensu proprio et communiter recepto.*

Prima pars, de regimine Ecclesiae in ordine ad caput ejus invisibile Christum, est evidens. Christus enim imperat, regnat et omnia agit per Ecclesiae praepositos, tanquam per suos legatos et dispensatores. Pro

Christo legatione fungimur, ait B. Paulus (2 Cor., v, 20). At cum, ex dictis, episcopi non sint meri Papae Vicarii, sed singuli suas dioeceses proprio nomine administrant, ideo, in ordine ad caput suum visibile, Ecclesiae regimen non est *autocraticum*. Est tamen regimen illud simpliciter, seu, sensu proprio et communiter recepto, *monarchicum*, ut dicitur in secunda parte conclusionis, et probatur sic :

Ad monarchiam simpliciter dictam, tria requiruntur et sufficiunt : 1° ut unus omnibus aliis societatis perfectae membris praeficiatur, ita ut nemo sit ab eo independentens ; 2° ut qui sic praeficitur, polleat facultate ea omnia peragendi, quae ad finem societatis proprium conducunt, ita ut nil eorum extra ejus forum ponatur ; 3° ut haec potestatis plenitudo per nullius alterius consortium minuatur, ita ut independentem a cujusvis alterius suffragio et consensu, princeps possit efficaciter imperare. Atqui haec tria reperiri in Papali auctoritate, jam satis demonstratum est. Tertium tamen, quod majoris videtur momenti, sic breviter ostenditur.

Certe, de Petro, prout condistinguitur a caeteris Apostolis, intelligenda sunt verba Christi conferentis munus sustentandi Ecclesiam, gerendi claves regni coelorum, quodcumque ligandi et solvendi, et pascendi oves ; Romano item Pontifici, prout condistinguitur a caeteris episcopis, tribuunt concilia jam citata *summum ac plenum principatum, plenam potestatem gubernandi, non habere tantum potiores partes, sed totam plenitudinem supremae potestatis*. Primatus itaque summus, plenus, supremus, residet penes Romanum Pontificem, etiam singulariter spectatum,

et ita credit universa Ecclesia. Atqui, si aliquando, ad efficaciter imperandum, Papa alicujus alterius consensu, puta aliorum episcoporum suffragio, indigeret, jam primatus ille summus, plenus et supremus, non magis in solo Papa quam in solis caeteris episcopis resideret, sed resideret in corpore episcoporum Papae junctorum, siquidem ad actum supremi regiminis vere efficacem, nec sufficerent pastores sine Papa, nec Papa sine pastoribus. Regimen itaque Ecclesiae est vere *monarchicum*.

Nonnulli quidem doctores catholici, post Bellarminum, dicunt illud esse aristocratia et democratia temperatum; sed, bono sensu sunt intelligendi, nempe: quod sub Papa existant necessario pastores quorum singuli aliquam gregis partem proprio suo nomine administrant; et insuper, quod unusquisque Christianus, ad dignitates ecclesiasticas, positus ponendis, promoveri valeat.

QUESTIO VIII^a

An et quo sensu Papa sit centrum unitatis catholicae?

414. Resp. Dico 1^o: *Papa est centrum unitatis catholicae.*

Ille dicitur unitatis catholicae centrum, quocum debent convenire omnes qui ad unitatem catholicam pertinere gestiunt. At, nullus se ad unitatem catholicam pertinere gloriari potest, nisi cum Romano Pontifice, quatenus supremam exercente auctoritatem, conveniat. Est enim Papa relative ad omnes Christianos, id quod est fundamentum in aedificio, pastor in ovili, rex in regno, caput in corpore. Atqui omnes lapides aedificii debent communicare cum fundamento,

oves cum pastore, cives cum rege, et membra cum capite.

Insuper, multoties, ut vidimus, Patres asserunt Sedem Romanam esse principium unitatis, et ad eam convenire teneri omnes alias ecclesias; ideoque gloriantur se cum ea servare communionem, atque ex hujus communionis defectu confundi omnes haereticos et schismaticos.

415. Dico 2^o: *Papa non est centrum unitatis repraesentative tantum, sed coactive.*

Esset centrum *repraesentative* tantum, si haberet simplex privilegium unitatis catholicae imaginem exhibendi, vel si ei sufficeret promulgare fidei definitiones ab omnibus tenendas, necnon leges disciplinares ab omnibus acceptandas; quae tamen leges et definitiones non a solo Papa vim obligandi haurirent. At Papa est centrum unitatis *coactive*, in quantum possidet jus omnes ad unitatem cogendi et in ea retinendi, dum *propria* auctoritate fert decreta dogmatica et disciplinaria quibus omnes ligantur, et a quorum vi obligatoria quisquis se subtrahere volens, statim extra unitatem catholicam constituitur. Et ratio est, quod Papa sit centrum unitatis ratione primatus, cujus natura involvit verum jus cogendi per leges et per poenas, ut jam probatum est.